HEEREN
TAB. MARMOR.
MUSEI BORG.

Text Coll. cplt. Inkg.
With 1 plate.

Cicognara 3240,
Borroni II 12225

EXPOSITIO

FRAGMENTI
TABULAE MARMOREAE

OPERIBUS CAELATIS ET INSCRIPTIONIBUS GRAECIS ORNATAE

MUSEI BORGIANI VELITRIS

AUCTORE

ARNOLDO HEEREN

BREMENSI

A. M. ACADEMIAE VOLSCORUM VELITERNAE SOCIO
ET REG. SOC. SCIENT. GOETT. ASSESS.

ROMAE MDCCLXXXVI.

APUD ANTONIUM FULGONI

Praeſidum facultate .

VIRIS ILLVSTRIBVS

ACADEMIAE VOLSCAE

VELITERNAE

SOCIIS

HVMANITATE AEQVE AC ERVDITIONE CONSPICVIS

AD PRISCA PATRIAE DECORA ILLVSTRANDA

OMNEMQVE ADEO ANTIQVITATEM VOLSCAM

EX TENEBRIS IN LVCEM PROTRAHENDAM

CONIVNCTIS,

HOC STVDIORVM SVORVM

S P E C I M E N

NVMERO EORVM MODO ADSCRIPTVS

NE HONORE IN SE COLLATO PRORSVS SE INDIGNVM


P R A E S T A R E T

SACRVM ESSE VOLVIT

A V C T O R.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/expositiofragmen00heer



Fragmentum tabulae marmoreae Operibus caelatis et inscriptionibus ornatae ex Museo Borgiano Velitris.

Boſsi scul.

QUamvis inter monumenta artis ſculptoriae antiquae multa ſint, quae eruditione magis quam artificii praeſtantia ſeſe commendent, maxime tamen iis annumerandae videntur tabulae illae, ſeu potius tabularum illa fragmenta, operibus caelatis & inſcriptionibus ornata, quibus vel omnis Graecae mythologiae cyclus, vel ſingulae fabularum ſeries oculis ſubiiciebantur. Novimus enim ex paucis monumentis, quae ex communi illo temporum naufragio, tanquam tabulae ad littora appulſae, nobis ſervata ſunt, morem hunc inter antiquos invaluiſſe, ut omnem fabularum ſeriem vel ab uno vel a pluribus poetis epicis traditam, eorum veſtigia legentes, parvis operibus caelatis repraeſentarent, adeoque quaſi totum opus poetae vel marmori inciſum, vel opere plaſtico expreſſum, exhiberent. Primum inter illa locum merito obtinet celebris illa *Tabula Iliaca*, quae Muſeum Capitolinum exornat, quae cum integra eſſet omnem Troiani belli hiſtoriam inde ab initio Iliados, prout ab *Homero*, *Arctino Mileſio* in *Memnone* vel *Aethîopide*, *Leſche* in Iliade parva, & *Steſichoro in Troiae excidio* deſcripta erat, oculis ſubiiciebat. Quae cum a *Fabrettio* (a), atque

(a) *Fabrett. de Col. Trai.* p. 315.

atque a *Begero* (*a*) eſſet illuſtrata, tertia vice in *Muſeo Capitolino* (*b*), expoſitione adiecta, publicata eſt.

Praeter tabulam hanc Iliacam, *Veronae* in bibliotheca R. Capituli, duo alia adſervantur ſimilis tabulae fragmenta, a *Montefalconio* & *Maffeio* publicata (*c*), quorum unum ad ipſam tabulam Iliacam Capitolinam pertinere, Montefalconius (*d*), ut recte notavit M. Capitolini editor (*e*), male utique, credidit. Sunt enim utraque in poſteriori quoque parte, alterum inſcriptionibus fabulas genealogicas exhibentibus, alterum ſingulis litteris, artificio quodam ita diſpoſitis, ut a qualicumque parte legere incipias, ſemper eadem verba prodeant, ornata, cum tabula contra Iliaca Romana, ab una tantum parte figuris & inſcriptionibus impleta ſit. Exhibent autem illa alterum maius fabulas Homericas, alterum minus Poſthomericas; res geſtas nempe Achillis, Memnonis, & Pentheſileae, quas ex *Arctini Memnone* expreſſas eſſe non male quis ſuſpicabitur; in poſteriori autem parte genus Cadmi exponitur. Verum uberiorem eorum explicationem futuro commentatori relinquo, nam quae Montefalconius, & Maffeius de iis diſſeruerunt, & pauca & incerta ſunt.

Tertium denique huius generis fragmentum, quod illuſtrandum mihi ſumo, nuper immigravit in ampliſſimum *Muſeum Borgianum*, *Velitris*; ex quo, cum iam tot egre-

gia

(*a*) *Begerus de bello & excidio Troiae* Berol. 1699.

(*b*) *Muſ. Capitol.* tom. IV. p. 363. 396. Tab. 68.

(*c*) *Montf. Ant. expl. Suppl.* tom. IV. lib. IV. c. 7. pag. 84. pl. 78. *Maffeius* ſuccinctam explicationem dedit in *Muſ. Veron.* pag. 468. 469. aeri autem inciſa publicavit in *Epiſtola ad Emin. Card. Quirini Veronae* 1754., quae in opere cui titulus: *Storia letteraria d'Italia vol. X. Modena* 1757. repetita eſt. Cum enim Muſeum Veronenſe prelo ſubiiceretur, tabulae aeneae quibus inciſa erant monumenta, non ad manum fuerunt.

(*d*) *Montf.* l. c.

(*e*) *Muſ. Capitol.* pag. 364.

gia omnis antiquitatis monumenta in publicum prodierint, alia vero gravioris momenti adhuc proditura ſint, hoc quoque non amplius in tenebris latere paſſus eſt doctiſſimus Praeſul, *Stephanus Borgia*, ſed cum illud aeri incidendum curaſſet, atque ob inſcriptiones mutilatas & opera caelata ampliori explicatione illud dignum eſſe videret, meis qualibuſcunque curis eam relinquere voluit. Quibus ſi virorum doctorum exſpectationi non ſatisfecero, meminerint velim, neque meae aetatis vaſtam illam eruditionem, quam in Montefalconio, Maffeio, Winkelmanno, & aliis antiquorum operum commentatoribus admiramur, eſſe poſſe: neque mihi, in paucis illis menſibus quos Romae verſari mihi contigit, ſexcentis aliis rebus diſtracto, accuratam illam diligentiam ipſi impendere licuiſſe, quam ipſa forſan rei gravitas poſtulabat.

In ipſa autem mea explicatione ita verſabor, ut primum ſuccinctam omnis operis deſcriptionem praemittam, tunc ad ſingula exponenda deſcendam, denique de conſilio totius operis, & uſu cui & hoc & alia ipſi ſimilia inſervierunt, pauca ſubiungam.

Fuit itaque, quod modo iam monui, monumentum noſtrum pars tabulae, cui genealogia deorum & heroum erat inciſa, ita ut ſingulorum heroum nominibus parvulum opus caelatum, praeclarum aliquod factum ab ipſo editum exhibens, adiiceretur.

Tabula ipſa erat marmorea, in quo & a tabula Iliaca & a fragmentis Veronenſibus differt, quae teſte *Maffeio* l.c. ex eadem qua tabula Iliaca mixtura vel plaſmate, quod *Stucco* ab Italis vocatur, facta ſunt. Locus ubi inventum eſt noſtrum, cum iam, priuſquam in *Borgianum Muſeum* perveniret, per plures manus migraverit, ignoratur. Quod ad

ad magnitudinem attinet, eadem utique eſt, qua aeri inciſum cernitur, ipſa autem & figurarum & litterarum forma ita ab inciſore expreſſa eſt, ut aequis harum rerum arbitris omnino ſatisfacere poſſit. Diſtributa erat omnis haec tabula in parte anteriori in campos & quadratos & oblongos, operibus caelatis ornatos, qui tamen, cum lineae quibus diſtinguebantur non recto ordine ſe exciperent, non omnes eadem erant magnitudine. Cernimus enim duo opera caelata, quae in inferiori ordine adhuc integra exſtant, non maius ſpatium occupaſſe, quam tria illa alia, quorum in ordine ſuperiori veſtigia adhuc conſpiciuntur. Ex quo ut ex iis quae poſtea monebuntur, patet, artificem opus ſuum ita inſtituiſſe, ut opera caelata cum inſcriptionibus ordine horizontali non perpendiculari ſe exciperent. Ceterum omnis haec pars anterior operis temporum iniuria male eſt affecta, inſcriptiones tantum non omnes ſunt mutilatae, opera autem caelata adeo vetuſtate detrita, ut figurae haud facile dignoſci queant. Pars contra poſterior marmoris, quae omnis inſcriptionibus eſt ornata, quibus & poëtae, partim obſcuri, partim ignoti hactenus omnino nominis, quos artifex expreſſit, & ipſae fabulae in carminibus eorum traditae continentur, ſecunda quadam fortuna melius conſervata eſt.

Haec de forma operis & inſtituto in univerſum monuiſſe ſufficiat, iam ad ſingula exponenda me accingo, in quo a parte priori incipiens, quae duo inſcriptionum, & operum caelatorum, ex quibus tamen ſuperior tantum non omnis periit, ordines continet, ipſum artificem ſecutus, primum de ordine ſuperiori, poſtea de inferiori diſputationem inſtituam.

Exſtant in ordine ſuperiore quatuor inſcriptiones, ex quibus duae adhuc integrae, duae alterae mutilatae cernuntur.

tur. Verſatus autem erat in hac marmoris parte auctor in exponendo genere Cadmi. Ex quatuor enim filiabus, quas Cadmus ex Harmonia ſuſceperat, Autonoe, Ino, Semele, Agave (*a*), tres ſunt, quarum & mariti & proles in marmore noſtro exponuntur. Quod ad Semelen attinet, fabulam omnium ore celebratam hic repetitam invenimus, eam nulli mortalium fuiſſe nuptam, ſed cum Iove ſolummodo concubuiſſe, atque ex eo Dionyſum concepiſſe, quem Iuppiter, cum matrem fulmine occidiſſet, femori inſuit, atque, cum iuſto tempore partu eum edidiſſet, Mercurio tradidit, ut eum ad Ino Semeles ſororem deferret, quae, quo Iunonis iram effugeret, ut puellam eum educavit. Tradit haec *Apollodorus* (*b*), cuius auctoritate fretus integram inſcriptionem, cuius ultima verba evanuerunt, ſic reſtituendam & legendam exiſtimo: Ζεὺς Σεμέλῃ πλησιάσας, καὶ κεραυνώσας, ἀνελόμενος τὸν Διόνυσον, ἐνράπτει εἰς τὸν μηρὸν, ὕστερον διὰ Ἑρμοῦ δίδωσιν ἸΝΟΙ τρέΦΕΙΝ ὩΣ ΚΟΡΗΝ, *Iuppiter cum Semelem compreſsiſſet, ac fulmine interfeciſſet, Bacchum ex ea ſuſceptum femori ſuo inſuit, poſtea vero Mercurii ope eum Inoi, ut puellam educandam, tradidit*. Quod ad opus caelatum attinet, cui inſcriptio ſubiecta erat, abſque dubio illud fabulam ipſam exhibuit, ex paucis tamen veſtigiis quae ſola adhuc ſuperſunt, nihil certi de eo affirmare licet (*c*).

 Alte-

(*a*) *Apollod.* lib. III. Γίνονται δὲ Κάδμῳ θυγατέρες μὲν Αὐτόνοη, Ἰνὼ, Σεμέλη, Ἀγαύη, παῖς δὲ Πολύδωρος.

(*b*) *Apollod.* III. 4, 67.

(*c*) Bacchi nativitas, cuius in marmore noſtro repraeſentationem fortuna nobis invidit, egregie exhibita eſt in *patera aenea Etruſca*, ut vulgo eas appellare ſolent. *Muſei Borgiani*, quae cum non artificii ſolum praeſtantia, & inſcriptionibus additis ſeſe commendet, ſed eo quoque memorabilis ſit, quod ipſam Bacchi ex Iovis femore prodeuntis nativitatem, quae an in ullo alio antiquitatis monumento expreſſa ſit neſcio, exhibet, ſuccin-

Altera Cadmi filia fuit *Agaue*, quam primo poſt Semelen loco marmor noſtrum commemorat: Εχίονος δὲ Σπαρτȣ̃, καὶ

ſuccinctam eius deſcriptionem (ampliorem enim expoſitionem aliis relinquo) lectoribus haud ingratam fore arbitror. Habetur itaque in ea celebris illa de Bacchi ortu fabula. In medio paterae *Iupiter ſedens* conſpicitur; caput redimitum eſt corona, dextra haſtam tenet, cui inſidet aquila. Vultu eſt ſevero ac gravi, in quo ipſi partus dolores apparent. Capiti ſuperſcriptum eſt nomen AIИIT *Tinia*, idem quod in aliis quoque pateris Etruſcis expreſſum eſt apud *Dempſt. de Etrur. reg.* tom. I. tab. I. & III. (In altera earum AИIT legitur). Ex ipſo Iovis femore puerum Bacchum prodeuntem, & vitis ramum dextra tenentem expreſſit artifex. Ambabus ille manibus a femina ante Iovem ſtante excipitur, cuius caput faſcia vel diademate ornatum cernitur, ex auribus atque ex collo pendent monilia, veſte vero uſque ad pedes demiſſa induta eſt. Super caput legitur nomen AИJAΘ *Thalna*, quam vulgo Etruſcorum Venerem eſſe volunt. Nititur haec opinio, quod ſcio, maxime celebri illa patera Etruſca apud *Dempſterum* l. cit., qua Minervae ortus exhibetur. Poſt Iovem enim, qui in ea ut in noſtra ſedens expreſſus eſt, conſpicitur ibi mulier, utraque eum manu ſublevans, atque auxilium ipſi ferens. Quae quamvis, cum illic ſeminuda, & habitu a noſtra diverſo exhibita ſit, idem tamen hoc AИJAΘ nomen ipſi additur. Poſt eam autem ramus cui columba inſidet, conſpicitur. Ex utroque itaque hoc monumento ſatis ni fallor patet, numen hoc apud Etruſcos non Graecorum Venerem fuiſſe, ſed cum parturientibus opem ferat cum *Iunone* potius *Lucina* convenire. Quod enim ad columbam attinet quae in patera mox citata viſitur, quaeque Venerem indigitare putarunt, nihil hanc Deam cum columba, quam recentiores poëtae Veneri tribuere ſolent commune habere, cenſeo. Apud antiquiſſimos enim Graecos poëtas, numquam, quantum ſcio, Veneri columba data eſt; quid? quod in egregio illo Sapphus ad Venerem hymno curru paſſeribus vecto incedere dicitur. Vetuſtior fabula eſt columbas Iovi recens nato ambroſiam attuliſſe, neque prorſus improbabile in patera Dempſteriana ad ſimilem de Minerva traditionem reſpici. Veneris tutelae ideo columbas commendaverunt ſequiores mythologi, quod faetui ſemper indulgent.

Poſt Thalnam illam ſtat Apollo; dextro brachio iniecta eſt chlamys, ſiniſtra lauri ramum tenet. Additum eſt nomen VJV1A *Apulu*, quod eodem modo in alia patera apud *Dempſter.* tom. I. tab. III, quae Iovem Mercurium & Apollinem exhibet, ſcriptum cernitur. Otioſus autem ſpectator eſſe videtur.

Ultimo denique loco in altera paterae parte poſt Iovem femina conſpicitur, eaque alata, eodem fere modo ut Thalna, veſte uſque ad pedes de-

καὶ Ἀγαύης ἦν Πένθευς. *Echionis Sparti*, *&* *Agaves filius fuit Pentheus*. Nupta enim erat Echioni uni ex Spartis, ſeu viris ex dentibus draconis natis quos Cadmus ſeverat, qui cum ſe mutua caede interfeciſſent, Echionem cum quatuor aliis ex iis ſolum ſuperſtitem fuiſſe, tradit *Ovidius* (*a*). Echion autem ex Agaue ſuſcepit *Pentheum*, Thebarum regem, qui cum ſacra Bacchi ſperneret, ab ipſa matre Bacchico furore correpta, aliiſque feminis vivus diſcerptus eſt. Fabulam hanc ab *Euripide* in *Bacchis* praeclare expoſitam eſſe, norunt omnes. Diram hanc Penthei caedem opere caelato cui inſcriptio addita eſt, repraeſentatam fuiſſe ſuſpicor, quod tamen cum tantum non omne perierit, incertum eſt.

Inſcriptionem tertiam, quamvis nobis non integra ſervata ſit, facile tamen ſupplemus. Novimus enim ex *Apollodoro* (*b*), & *Ovidio* (*c*), (ut alios taceam) Ino tertiam Cadmi filiam Athamanti, Thebarum regi deſponſatam fuiſſe, atque ex eo duo filios, Learchum & Melicertam concepiſſe. Cum autem a Iunone, quod Bacchum educaſſet, ipſi

demiſſa, induta, ac diademate ornata. In auribus quoque & collo eadem quae Thalna ornamenta gerit. Dextra ſublata tenet ſtylum, quo ſcribere videtur, ſiniſtra vaginam, vel quidquid ſit aliud. Additum quidem eſt nomen ИA . M, quod tamen an forte *Muſam* indicet, vel quidquid aliud, cum cetera figurae expoſitione futuro commentatori diſputandum relinquo. Mihi rem ipſam indicaſſe ſufficit. Poſt eam vero *cunae* pueri Bacchi repoſitae cernuntur.

Omnis haec ſcena ornatu quodam circumdata eſt. Praeterea autem manubrium quoque paterae figuris, quae tamen ad rem ipſam non amplius pertinent, inſignitum eſt. In parte enim anteriori una figura eaque alata ac diademate inſtructa cernitur, cui addita inſcriptio ꓨAƎИA ... IƧVꓨI⊙ .. ⊙. Ceterae litterae obſcurae ſunt. In parte autem averſa duae ſunt figurae, altera nuda, altera omnis veſtita. Sed cum egregii huius monumenti notitiam potius quam explicationem exhibere volui, plura de eo dicere ſuperſedeo.

(*a*) Ovid. *Metam*. lib.III.

(*b*) Apollod. *Bibl*. lib.III. c.4.

(*c*) Ovid. *Metam*. l.III.

ipſi ſuccenſente una cum marito in furorem coniecta eſſet, Athamas filium Learchum occidit, ipſa cum Melicerta ſe in mare deiecit, atque inter numina marina a Neptuno recepta eſt. Quae cum ita ſint, inſcriptionem noſtram ita explendam eſſe patet: Ἀθαμάντος δὲ καὶ Ἰνῦς Λέαρχος καὶ Μελικέρτης. *Athamantis & Inus filii erant Learchus & Melicertes*.

Quod denique ad quartam inſcriptionem attinet, ex qua tres tantum ſyllabae nobis ſervatae ſunt, facili coniectura ductus, arbitror, in ea genus *Autonoes* Cadmi filiae natu maioris exhibitum fuiſſe. Nupta illa erat Ariſtaeo, atque ex eo Actaeonem concepit, Dianae ira in cervum poſtea mutatum.

Expoſitis iis quae ad ſuperiorem ordinem pertinent, pergo iam ad inferiorem, ex quo duo nobis opera caelata integra ſervata ſunt, tertii autem, ut & duarum inſcriptionum, alteris illis ſubiectarum, pauca tantum veſtigia exſtant. Quod ad ultimum hoc attinet, ut ab eo incipiam, dimidia tantum figura, ni fallor feminae eaeque fugientis, conſpicitur, quae forſan Io eſſe poteſt filium Epaphum quaerens, quis enim in tanta rerum incertitudine certi quid affirmare audeat?

In proximo campo, qui integrum opus continet, tres cernuntur figurae, altera feminae veſte uſque ad pedes demiſſa indutae, altera herois vel dei, ut videtur, nudi, cui a ſiniſtra adſtat equus. Ex inſcriptione adiecta haec adhuc, quantum aſſequor, verborum veſtigia ſuperſunt: .... λαια .... καθισ .... νιου, cetera omnia perierunt. Credo autem hoc opere repraeſentari *Neptuni atque Minervae ſuper Athenarum urbem certamen*. Exorta enim inter illos altercatione quis terrae praeficeretur, ſancitum eſt, ut is ſuperior diſcederet, qui rem humano generi utiliſſimam produxiſſet. Quo facto

facto Neptunus terra tridente percuſſa, equum produxit, Minerva haſta ſolo infixa, oleam. Quam fabulam ſi artifex exprimere voluit, facile vident omnes feminam illam eſſe debere Minervam, virum Neptunum, equum vero qui prope Neptunum conſpicitur, eumdem eſſe quem modo ex terra evocaverat. Favet huic interpretationi inſcriptio addita, in .... λαια enim latere ἐλάιαν non male quis ſuſpicabitur: καθισ ... initium eſſe poteſt verbi καθισαμένη, cuius ultimae litterae in proxima linea exſtabant, ... νιου denique ſumerem pro Σουνίου, quod fuit Atticae promontorium; ibi enim res gerebatur. Quod ad cetera inſcriptionis verba attinet, quae plane interierunt, nihil de iis dicere ſatius erit, quam vanis coniecturis indulgere.

Nec denique leve praeſidium interpretationi meae inde paratur, quod in altera marmoris parte, inſcriptionibus omnino impleta, certaminis huius mentio iniicitur. Ibi enim haec verba leguntur: Πρὸ τῆς ἐρίδος Ἀθηνᾶς πρὸς Ποσειδῶνα πρόκειται τάδε. Ex quo maxime veriſimile fit, fabulam hanc in priori marmoris parte exſculptam fuiſſe, ac ſatis certa ni fallor coniectura inde ducitur, opere noſtro nihil aliud repraeſentari potuiſſe.

Erunt quidem qui mecum in monumento oleam deſiderent, omnemque forſan explicationem eam ob cauſſam admitti poſſe negent; cui tamen non nimium tribui velim. Videmus enim opus noſtrum ita vetuſtate eſſe detritum, cum omnia attributa figurarum plane evanuerint, ut oleae huius, cui forſan poſt Minervam locus fuerat, veſtigia omnino deleta eſſe poſſint.

Reſtat alter campus, opere caelato ornatus, & inſcriptione olim inſtructus, ex qua tamen paucae tantum litterae ſuperſunt. Conſpiciuntur in eo duae figurae, altera viri, alte-

altera feminae, quarum utraque puerum amplexum tenet. Litterae iis ſubiectae hae mihi eſſe videntur, Ιω και. λα, vel καταλα, ceterae enim perierunt. Quod ſi opus ex ſolis figuris explicandum eſſet, prona foret interpretatio; quod ſi contra ex inſcriptione adiecta, difficillima. Ipſo enim opere vix aliud repraeſentari poteſt, quam *Athamantis & Inus hiſtoria*, quam ſupra iam expoſuimus. In ſiniſtra enim marmoris parte duae conſpiciuntur figurae, eaeque viriles, altera pueri, vel iuvenis, altera viri aetate iam provecti iuvenem corripientis. Hunc puto eſſe Athamantem, illum filium Learchum a patre furibundo correptum atque occiſum. In altera marmoris parte cernitur femina puerum amplexibus tenens, quam credo eſſe Ino, filium natu minorem, Melicertem, vel a patris furore tuentem, vel cum eo in mare ſe deiicientem. Atque haec quidem ſatis mihi expedita videntur, ſed haereo in inſcriptione, in qua Ιω και expreſſum legimus. Quodſi enim ex ea res diiudicanda eſſet, Iûs fabulam hic expreſſam eſſe dicendum foret, quod tamen eſſe nullo modo poteſt, cum opus caelatum nihil omnino habeat, quod ad Iûs hiſtoriam referri poſſit. Quapropter iudicent alii, an forte ex opere caelato emendanda ſit inſcriptio, ita ut pro Ιω reſcribatur Ινω, ſolemni admodum errore ab artifice commiſſo. Operis vero noſtri auctorem in ſcribendis nominibus ſaepius peccaſſe, infra videbimus, & qui tabulam Iliacam, vel leviter inſpexerint, norunt, quantis illa ſcribendi vitiis ſcateat.

Denique velim meminerint lectores, artificem in ordine ſuperiori Inûs iam progeniem attigiſſe, probabilemque inde coniecturam duci, ceteram quoque eius hiſtoriam, ultimaque maxime fata ab eo expreſſa fuiſſe.

Expoſitis iam iis, quae in hac marmoris parte cernuntur, pergo ad alteram, nullis quidem operibus caelatis inſtructam,

ſtructam, totam tamen inſcriptionibus impletam, quas primum ſingulas recenſebimus, quo facto de totius operis conſilio certius iudicium ferri poterit.

Prima autem ſic ſe habet: Ἥφαιστον καὶ μὴ προσ... μένης τὸ λέχος τῆς γο.... ἐπὶ τὴν γῆν πεσούσης ἐπὶ τὴν γεννᾶται ὁ Ἐριχθόνιος.

Quamvis principium inſcriptionis deſideratur, reliqua tamen facile docent expoſitam his fuiſſe fabulam de Erichthonio, quam ut alios taceam, *Apollodorus* lib. III. c. 17. §. 7. tradidit. Cum enim Minerva Vulcanum adiret, ipſum ut arma ſibi fabricaret rogatura, ille amore eius correptus vim ipſi inferre voluit. Fugit quidem Minerva, Vulcanus tamen eam inſecutus, cum fruſtra eam comprimere niteretur, ſemen in terram demiſit, ex quo natus eſt Erichthonius, qui poſtea Amphictione ex Athenis eiecto, Athenarum rex factus eſt, atque ex Paſithae Pandionem ſuſcepit. Haec *Apollodorus*, ex quibus inſcriptio noſtra facile emendatur ac reſtituitur. Legendum enim eſt: Ἀθηνᾶς δὲ φευγούσης τὸν Ἥφαιστον, καὶ τὸ λέχος μὴ προσδεχομένης, τῆς γονῆς ἐπὶ τὴν γῆν πεσούσης, γεννᾶται ὁ Εριχθόνιος. Poſt προς enim addendum fuiſſe δεχο ipſa veſtigia τοῦ Δ, quae adhuc exſtant, facile docerent, niſi ipſe iam ſenſus loci & verbi ratio idem ſuaderent. Verba ἐπὶ τὴν male bis ſcripſerat operis noſtri auctor, idque lineolis ſuperimpoſitis ipſe indicavit; in quem tamen errorem facile incidere potuit, cum verba modo ſcripta ἐπὶ τὴν γῆν ipſi adhuc in memoria haererent (*a*). In nomine quoque *Erichthonii* ſcribendo lapſus eſt, male enim exhibuit Ἐριχθόνιος, quod hic

(*a*) In tabula Iliaca eodem prorſus modo verba τοὺς λόγους in argumento Iliados quod in columna in dextra parte operis legitur, bis ſcripta cernuntur.

hic tantum eo conſilio a me monitum ſit, ut inde, quam facile ſupra in Iύs nomine vitium latere poſſit, pateat.

Excipit hanc inſcriptionem alia, eaque integra: Πρὸ τῆς ἐρίδος Ἀθηνᾶς πρὸς Ποσείδωνα πρόκειται τάδε, in qua niſi omnia me fallunt, πρὸ male ſcriptum eſt loco περὶ. *De certamine Minervae cum Neptuno haec tradita ſunt*. Cum enim marmor noſtrum verſus dextram adhuc continuaret, ipſam fabulam, quam iam expoſui, ibi traditam fuiſſe, credo.

Quae hactenus expoſui, expedita erant, cum integrae adhuc inſcriptiones ſupereſſent; quae iam ſequuntur obſcuriora ſunt, cum ex ſingulis lineis pauca tantum verba legantur. Quae tamen utinam integra exſtarent! Pauca enim quae nobis ſuperſunt legens, nullus dubito, novam ex iis lucem loco obſcuriſſimo, de poëtis Graecorum Cyclicis afferri potuiſſe, cum & carminum & poetarum nomina nonnulla in iis occurrant, quae ad hoc genus ſpectant. Cyclicorum autem poetarum nomen latiori hic ſenſu intelligo quo omnes Graecorum poetae antiquiſſimi, qui aut omnem mythologiam inde a mundo condito uſque ad Graecorum ex bello Troiano reditum, vel ſingulas fabularum ſeries carmine epico celebrandas ſibi ſumerent, eo comprehenduntur. Quod tamen ad noſtrum opus attinet, hoc in univerſum de eo monere liceat, in ſingulis lineis de aliis carminibus diſputari, adeoque cum ex paucis quae nobis ſervata ſunt reliquiis, tota inſcriptio reſtitui nequeat, ſingulas lineas cenſurae eſſe ſubiiciendas.

LIN. I.

. . . *μαχίας οὐχ ἣν Τέλεσις ὁ Μηθυμναῖος* . . .

Ex fabulis quas Graecorum antiquiſſimi poetae carmine epico tractare ſolebant, maxime inſigne erat Deorum cum Gigantibus & Titanibus certamen, quae carmina

Γιγαν-

Γιγαντομαχίας & Τιτανομαχίας inſcribebant. Unum ex iis commemorari voce . . . μαχίας quae non integra exſtat, certum eſt, cum de ipſo auctore carminis diſputatio inſtituatur. Nomen quidem auctoris non amplius exſtat, cum in iis quae legimus operis auctor tantum ſe non de illa Gigantomachia loqui affirmet, quam *Teleſis Methymnaeus* condiderat, ſed de alia quae qualis eſſe potuerit, mox diſputabitur. Fabula haec de deorum cum gigantibus certamine, quae ad phyſicas rationes revocanda eſt, ex ipſa ſumma antiquitate, ex priſci nempe ſermonis indole, qua omnia quae & ſenſibus obvia ſunt, & ſola mentis acie cernuntur in perſonas mutantur, originem duxit, atque ab ipſis iam antiquiſſimis poetis Graecis tractata eſt. Ut enim *Heſiodum* taceam, qui eam in *Theogonia* ſua tradidit, antiquiſſimum olim lectum fuit *Thamyridis*, *Orphei* aequalis, poema *Gigantomachia* inſcriptum, quod tamen *Plutarchi* iam aetate, quantum ex verbis eius concludere licet, perierat (*a*). Quae cum ita ſint, vix fieri poſſe crediderim, ut operis noſtri auctor illud expreſſerit, ac in marmore noſtro de alia potius, non obſcuri nominis, *Titanomachia*, quae cum alii eam *Arctino*, alii *Eumelo Corinthio* tribuerent, incerti erat auctoris, ſermonem eſſe crediderim. Memoriam eius iniecit, ac fragmenta ex ea ſervavit *Athenaeus* (*b*) : Ἐγὼ δέ οἶδα, ὅτι ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας, εἴτ᾽ Εὔμηλος ἐςὶν ὁ Κορίνθιος, εἴτ᾽ Ἀρκτῖνος, ἤ ὅςις δήπου χαίρει ὀνομαζόμενος, ἐν τῷ β. οὕτως εἴρηκεν·

Ἐν δ᾽ αὐτῇ πλωτοὶ χρυσώπιδες ἰχθύες ἔλλοι
Νήχοντες παίζουσι δι᾽ ὕδατος ἀμβροσίοιο.

C Ego

(*a*) Plutarch. *de Muſ. Op*. t. II. p. 1132. B. (*b*) Athen. lib. VIII. p. 277.

Ego autem novi Titanomachiae illum conditorem ſive Eumelus ſit ille Corinthius, ſive Arctinus, ſive quisquis demum alius, libro ſecundo ſic dixiſſe: In aqua autem eius divina, (videtur de fonte ſermo fuiſſe) *aurei piſces quos Hellos vocant, natando ludebant*. Praeter hunc locum aliud adhuc fragmentum exſtat apud eumdem *Athenaeum* (*a*): Ἔυμηλος ἢ Ἀρκτῖνος ὁ Κορίνθιος τὸν Διά ὀρχούμενον πόυ παράγει, λέγων·

Μεσσόισιν δ' ὠρχεῖτο πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Eumelus autem vel Arctinus Corinthius, Jovem alicubi ſaltantem inducit, dicens: In medio autem ſaltabat pater hominum atque deorum. Verſum enim hunc, cum iterum de auctore carminis utrum ſit *Arctinus* an vero *Eumelus*, dubitatur, ex eadem hac *Titanomachia* hauſtum eſſe, nulli dubio ſubiectum eſſe poteſt. Verum alia hic naſcitur quaeſtio. Vidimus enim ex loco *Athenaei* modo laudato, *Arctinum* hunc ab eo *Corinthium* nominari, cum tamen omnis antiquitas, quamvis celeberrimum eſſet *Arctini Mileſii*, qui *Aethiopidem* condiderat, nomen, *Arctinum Corinthium* omnino ignoraverit. Dubitatum itaque fuit a viris doctis, utrum *Arctinus* noſter *Corinthius*, *Titanomachiae* conditor, diverſus fuerit ab *Arctino* illo *Mileſio* celeberrimi nominis, cui ſententiae favere videtur *Fabricius* (*b*). Verum ex ſolo hoc *Athenaei* loco novum prorſus poetam creari nolim; mihi enim verba *Athenaei* cum ceteris illis, quae modo adduxi comparanti, nullum fere reſtat dubium noſtro loco eodem prorſus modo quo altero illo, pro Ἔυμηλος δὲ ἢ Ἀρκτῖνος ὁ Κορίνθιος, transpoſitis modo nominibus legendum eſſe: Ἀρκτῖνος δὲ ἢ Ἐύμηλος ὁ Κορίνθιος, ut *Corinthii* Epitheton, ad *Eumelum*, quem Corinthium fuiſſe conſtat, transferatur.

Quae

(*a*) Idem ibid.

(*b*) Fab. *Bibl. Gr.* lib.I. c.4.

Quae tamen, quomodocumque ſe habeant, alia iam inſtituenda eſt diſputatio, ut inde, quis ſit ille *Teleſis* qui in marmore noſtro *Titanomachiam* condidiſſe dicitur pateat. Hunc enim inſcriptionis noſtrae ſenſum eſſe, atque poſt Μηθυμναῖος excidiſſe ἐποίησεν vel ſimile verbum, nullus dubito. Obſcuriſſimum utique eſt *Teleſis* poetae nomen ac vix apud antiquos ſcriptores illud commemorari crediderim. Frequens contra *Teleſtae* poetae mentio iniicitur. *Teleſis* vero atque *Teleſtae* nomen unum idemque eſſe, diſerte docet *Athenaeus* (*a*). Καὶ Τέλεσις ἢ Τελέστης ὁ ὀρχηστοδιδάσκαλος. Quae cum ita ſint, miſſo iam facto *Teleſis* nomine, ad *Teleſtem* redit diſputatio, ac quae antiqui ſcriptores de eo tradiderint, videndum eſt. Praeter *Suidam*, *Plutarchum* & alios quos poſtea recenſebimus, ſaepius apud *Athenaeum Teleſtes* poeta, quem mox Lyricum, mox Comicum appellat, commemoratur, cui tertium adhuc addit, quem ſaltandi magiſtrum fuiſſe perhibet (*b*). Communis inde virorum doctorum poſt *Fabricium* (*c*) exſtitit ſententia, loca illa *Athenaei* non ab uno eodemque *Teleſte* accipienda eſſe, ſed *Teleſtem Comicum* a *Teleſte Lyrico* diverſum fuiſſe: quam tamen viri ſummi opinionem non admittendam eſſe, ipſa locorum *Athenaei* comparatio nos docebit. Quod enim primo ad *Teleſtem Lyricum* attinet patria ille fuit *Selinunte*, atque inde *Selinuntius* ab *Athenaeo* vocatur (*d*): Διὸ καὶ Τελέστης ὁ Σελινούντιος φησιν. Idem autem hoc *Selinuntii* cognomen *Teleſtae* quoque *Comico* ab ipſo *Athenaeo* alio loco datur (*e*): Ἀλλ᾽ ὅγε Σελινούντιος Τελέστης ἐν Ἀργοῖ ἔφη. Haec enim de Comico intelligenda eſſe, novimus ex *Suida* (*f*) qui duas fabulas eum

 ſcri-

(*a*) Athen. lib. I. cap. 19.
(*b*) Idem loc. cit.
(*c*) Fabr. *Bibl. Gr.* lib. II. c. 15.
(*d*) Athen. pag. 625.
(*e*) Idem p. 616.
(*f*) Suidas v. Τελέστης.

ſcripſiſſe tradit : Τελεςὴς κωμικὸς, τούτου δράματα ἐςὶν Ἀργὼ καὶ Ἀσκλήπιος, ὥς φησιν Ἀθηναῖος ἐν Δ δειπνοσοφιςῶν. Quare niſi quis duo Teleſtas poetas ex Selinunte ortos fuiſſe, quod cum nulla ſit ratio quae ſuadere illud poſſet, nemo facile admittet, contendere velit, & Lyrici & Comici nomen ad unum eundemque poetam referendum eſſe patet.

Quod porro ad *Lyrica* Teleſtae noſtri *Carmina* attinet,fabularum enim quas ſcripſit titulos ex *Suida* modo vidimus,Dithyrambici ea generis fuiſſe diſcimus ex *Plutarcho*, qui Alexandro in Oriente verſanti, praeter Euripidis, Sophoclis & Aeſchyli tragoedias *Teleſtae* & Philoxeni dithyrambos ab Harpalo dono miſſos eſſe, teſtatur (*a*). Idem quoque conſtat ex *Athenaeo*, qui Magadim, inſtrumentum muſicum, quinque olim chordis inſtructum fuiſſe, Teleſtae noſtri auctoritate probaturus, ſic ſcribit (*b*): Τελέςης δὲ ἐν Ὑμεναίῳ Διθυράμβῳ πεντάχορδον αὐτόν φησὶν εἶναι. Inſigne autem inter Lyricos Graecos Teleſtae noſtri nomen fuiſſe, ex ipſis iam Plutarchi verbis, a quo inter antiquiſſimos Graecorum poetas recenſetur, patet. Quid ? quod teſte *Apollonio Dyſcolo* ipſe Ariſtoxenus in praeclaro ſuo opere *de Vitis virorum illuſtrium* Teleſtem noſtrum non indignum habuit, cujus vitam operi ſuo inſereret (*c*).

Aetas denique Teleſtae noſtri accurate conſtituitur ex *Diodoro Siculo* (*d*), qui eum Olymp. XCV. floruiſſe teſtatur. Enarrata enim hiſtoria tertii anni huius Olympiadis, addit: Ἤκμασαν δὲ κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν οἱ ἐπισημότατοι διθυραμβοποιοί, Φιλόξενος Κυθήριος, Τιμόθεος Μιλήσιος, ΤΕΛΕΣΤΗΣ ΣΕΛΙΝΟΥΝΤΙΟΣ, Πόλυειδος. Quod marmore quoque Oxonienſi con-

(*a*) Plutarch. in *Alexand. Op.* t.I. pag. 879.

(*b*) Athen. lib.XIV. p.697.

(*c*) Apoll. Dyſc. *narrat. mir.* c.40.

(*d*) Diod. Sic. tom.I. p.679. edit. Weſſel.

confirmatur, quod eum Athenis Archonte Micia floruiſſe tradit (*a*); ut adeo niſi nominis diverſitas obſtaret, idem eſſe poſſit cum *Teleſto* poeta cuius monumentum *Plinius* (*b*) laudat, eumque circa tempora Philippi Macedonis, Alexandri nempe patris, vixiſſe tradit; quae iam fuit coniectura *Fabricii* (*c*).

Haec de *Teleſis* vel *Teleſtae Lyrici* perſona, aetate & ſcriptis monuiſſe ſufficiat; contrahenda iam ſunt vela, atque ad *Teleſin* noſtrum *Epicum*, Titanomachiae conditorem redeundum eſt. Conſervatum eſt in marmore noſtro praeter carminis titulum, quod condidit, patriae quoque nomen ex qua ortus erat; *Methymnaeus* enim dicitur; unde eum a *Teleſi*, vel *Teleſte Lyrico*, qui *Selinuntius* erat, utique diverſum fuiſſe patet. Praeter haec autem nihil omnino certi de eo affirmare licet; in nullo enim antiquo ſcriptore, quantum mihi innotuit, mentio eius iniicitur, ſed ſolo marmore noſtro nomen eius ab interitu vindicari voluit fortuna.

LIN. II.

. . . ἔπεσιν, καὶ Δαναΐδας ΕΦ ἐπῶν, καὶ τὸν . . .

In iis quae verba nobis ſervata praeceſſerunt, carminis cuiusdam epici mentio facta erat, adiecto verſuum numero, qui in marmore noſtro, quod ſequentia ſtatim docebunt, non στίχοι ſolito more ſed ἔπη ſemper vocantur. Commemoratus ſine dubio erat carminis auctor, qui illud neſcio quot verſibus, ἔπεσιν compoſuerat. Idem ille dicitur carmen, Danaidas inſcriptum condidiſſe ΕΦ, 5500, verſibus atque aliud καὶ τὸν . . . (niſi forte haec ad alium poetam ſpectent, cu-

(*a*) Prideaux *ad marm. Ox* p.226.
(*b*) Plin. *Hiſt. N.* xxxv. 10.
(*c*) Fabr. *Bibl. Gr.* lib.II. c.15.

ius nomen interiit). *Aeſchyli* quidem tragoediam, *Danaïdas* inſcriptam ſuperfuiſſe notum eſt, ſed ad quam tamen, cum hic de carmine epico ſermo ſit, ea referri nequeunt. Tractari ſolebat fabula de Danaidibus a poetis epicis, qui omnem Iûs & poſterorum eius hiſtoriam enarrabant, in qua cum Danaides primas quaſi partes occuparent, facile fieri potuit, ut omne carmen, cuius tamen memoria, quantum ſcio, noſtro tantum marmore ſervata eſt, nomen ab iis adeptum ſit.

LIN. III.

. . . Τὴν Οἰδιποδείαν τὴν ὑπὸ Κιναιθῶνος τοῦ . . .

Fata Oedipi & poſterorum eius, vel familiae potius Cadmi multis carminibus epicis occaſionem dediſſe, in quibus omnis Thebarum urbis hiſtoria antiqua exponebatur, quae vel Oedipodeas, vel Thebaidas inſcribebant, notum eſt omnibus. Oedipodea, cuius marmor noſtrum mentionem facit, tribuitur *Cinaethoni* homini inter poëtas Cyclicos non obſcuri omnino nominis. Frequens eius mentio iniicitur apud *Pauſaniam*, & apud nonnullos alios quorum loca diligenter jam collegit *Meurſius* (*a*). Patria fuit noſter Lacedaemone, teſte *Pauſania* (*b*), adeoque in marmore noſtro poſt τοῦ olim lectum fuit Λακεδαιμονίου. Plura ejus carmina apud antiquos commemorantur. Scripſit enim primo *Genealogias* verſibus Epicis, quas ſaepius laudat *Pauſanias* (*c*): Κιναίθων δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος, ἐγενεαλόγησε γὰρ καὶ οὗτος ἔπεσιν, Μῆδον καὶ θυγατέρα Ἐριῶπιν Ἰάσονος εἶπεν ἐκ Μηδείας γενέσθαι. Et mox (*d*): Τὸν δὲ Ὀρέστου νόθον Πενθίλον Κιναίθων ἔγραψεν ἐν τοῖς ἔπεσιν Ἠριγόνην τὴν Αἰγίσθου τεκεῖν. Porro in Meſſenicis (*e*): Πρὸς δὲ αὐτοῖς, ὁπόσα Κινα-

(*a*) Meurſ. *Miſcell. Lac.* IV. 17.
(*b*) Pauſan. lib. I. p. 119. & Gyrald. *Dial. de vitis poetarum* p. 120.
(*c*) Pauſ. *in Corinth.* p. 119. ed. Kut.
(*d*) Pag. 151.
(*e*) Pauſ. p. 282.

Κιναίθων καὶ Ἄσιος ἐγενεαλόγησε. Denique in Arcadicis (*a*): Κιναίθων δὲ ἐν τοῖς ἔπεσιν ἐποίησεν ὡς Ῥαδάμανθυς μὲν Ἡφαίστου, Ἥφαιστος δὲ εἴη Τάλω, Τάλων δὲ εἶναι Κρητὸς παῖδα. Quibus addendum eſt teſtimonium *Schol. Homeri* (*b*) : Κιναίθων δέ φησι· Νικόστρατος καὶ Αἰθιόλας, Ἑλένης δύο παῖδες, παρὰ Λακεδαιμονίοις τιμῶνται. Carmen hoc procul dubio idem fuit cum *theogonia*, quam ipſi tribuendam eſſe, docet *Gyraldus* (*c*). Locis enim, quae modo laudavi inter ſe comparatis, patet, eum ab ipſo deorum ortu carminis initium feciſſe, atque poſtea ad tempora heroica deſcendiſſe. Male itaque Gyraldum notavit *Colomeſius* (*d*), qui pro *Theogonia* ex Euſebii Chronico reſcribendum eſſe ducit *Telegoniam*. Sic enim hic apud *Hieronymum* (*e*) : *Cinaethon Lacedaemonius poëta, qui TELEGONIAM ſcripſit, agnoſcitur*. Nec audiendus eſt *Fabricius* (*f*), qui eum in Telegonia quoque γενεαλογῆσαι potuiſſe dicit. Quomodo enim omnia ea, quae modo ex Pauſania adduxi, in Telegonia locum habere poſſint, in qua ultima Ulyſſis fata exponebantur, vix aſſequor. Obſtat praeterea ipſa Pauſaniae auctoritas, qui in omnibus locis quae laudavi Genealogiam eius, vel Theogoniam, numquam Telegoniam commemorat. Quapropter vel apud Hieronymum pro *Telegonia* reſcribendum duco *Theogonia*; vel ſi umquam Telegonia Cinaethonis noſtri lectitata fuerit, diverſam eam a Theogonia fuiſſe puto.

Praeter hanc Theogoniam Herculis quoque facta celebranda ſibi ſumſerat; Ἡρακλείαν enim eius laudatam invenimus

---

(*a*) Pauſ. *Arcad.* p.707.

(*b*) Schol. Hom. ad *Iliad.* lib. I. v. 478.

(*c*) Gyrald. loc. cit.

(*d*) Colomeſ. ad Gyrald. loc. cit.

(*e*) Euſeb. ap. Hieron. ad Ol. III.

(*f*) Fabr. *Bibl. Gr.* lib.II. cap.8. pag. 378.

mus apud *Scholiaſtem Apollonii* (*a*). *Oedipodeam* denique ab eo conditam fuiſſe, ex ſolo marmore noſtro diſcimus; a nullo enim antiquo ſcriptore, quantum mihi innotuit, memoria eius ſervata eſt. Vixit autem Cinaethon noſter, quod ex loco Euſebii apud *Hieronymum* (*b*) diſcimus Ol. III., adeoque ipſis antiquiſſimis Graeciae poëtis annumerandus eſt.

LIN. IV.

: . . τες ἐπῶν οὖσαν ΕΧ ὑποθήσομεν Θηβαίδα . . .

Primis huius lineae verbis iterum verſuum numerum carminis cuiuſdam epici, cuius tamen nomen interiit, commemoratum invenimus. Quamvis enim ſubito Thebaidis mentio iniiciatur, verſuum tamen numerus, eſt autem 5600, potius mihi ad carmen aliud modo laudatum, quam ad illam pertinere videtur. Quod quomodocumque ſe habeat, *Thebaidem* hic commemoratam eamdem illam eſſe crediderim, quam *Antimachus Colophonius* omnium ore celebratus condiderat. Tantam enim illa apud antiquos laudem conſecuta erat, ut qui eam Homeri carminibus praeferendam eſſe putarent, non deeſſent (*c*); & cum de Thebaide, nomine auctoris non addito ſermo eſſet, omnes iam ad Antimachi Thebaidem haec referenda eſſe, facile intelligerent. Neque ex omnibus carminibus epicis antiquis, quae perierunt, ullum eſt, ex quo tot nobis fragmenta ſervata eſſent, quam ex hac Antimachi noſtri Thebaide, quae ſi diligenter eſſent collecta, quamvis non integrum carmen iis reſtitueretur, conſilium tamen operis, & ordinem quem poëta ſecutus eſſet inde perſpici poſſe, nullus dubito. Latent autem illa maxime apud Grammaticos, Scholiaſtas, Gloſſographos, & id genus ſcriptores. Secunda enim fortuna ac-

(*a*) Schol. Apoll. lib. I. v. 1357.

(*b*) Euſeb. ap. Hieron. ad Ol. III. *Cinaethon Lacedaemonius poëta, qui Telegoniam ſcripſit, agnoſcitur.*

(*c*) De *Hadriano* imperatore tradit hoc Spartianus c. 16.

accidit carmini noſtro, ut a Grammaticis Alexandrinis Ariſtophane nempe, & Ariſtarcho, qui recenſum ſcriptorum Graecorum inſtituebant, in numerum eorum admitteretur ex quibus dicendi magiſtri & linguae periti exempla petere poſſent. Vixit autem *Antimachus* noſter Olympiade XCIII., teſte *Diodoro Siculo* (*a*).

LIN. V.

...ν τὸν Μιλήσιον λέγουσιν ἐπῶν ὄντα ΘΡ...

Periit quidem & poëtae & carminis nomen, cum eum tantum *Mileſium* fuiſſe, & carmen 9100 verſuum compoſuiſſe, ex marmore noſtro pateat, neque tamen quo de carmine ſermo hic ſit, obſcurum mihi eſſe videtur. Quamvis enim plures fuerint Mileſii, qui mythologia Graeca enarranda inclaruerint, unus tamen tantummodo fuit, qui cum ceteri pedeſtri oratione uſi ſint, carmine epico eam celebraverit. Fuit autem ille *Arctinus Mileſius*, cuius & *Aethiopis* vel *Memnon*, & Ἰλίου πέρσις lectitata fuit: quamvis non defuerint qui hanc pro eadem cum Memnone habuerint. Verum poſt ea quae *Salmaſius* ad *Solinum* (*b*), & *Heyne* V. I. (*c*), quem & praeceptorem & amicum habere mihi contigit, hac de re diſputarunt, plura de ea dicenda non habeo. Ex Arctini nomine, quod quarto caſu ſcriptum erat, Ἀρκτῖνον τὸν Μιλήσιον, ultima adhuc littera ſupereſt; de Memnone autem quem condiderat ſermonem fuiſſe, non male quis inde ſuſpicabitur, quod ὄντα, quod ad carminis titulum referendum eſſe patet, genere maſculino ſcriptum ſit. Ceterum Arctinum noſtrum Mileſium eumdem eſſe cum Arctino illo quem Corinthium vocant, cui Titanomachia tribuitur, ſupra iam ex Athenaeo probavi.

LIN.

(*a*) Diod. Sic. XIII. p. 390.

(*b*) Salmaſ. ad Solin. p. 599. 600.

(*c*) Heyne *Excurſ. ad Aen.* II. pag. 230.

LIN. VI. VII.

. . . π ΜΔΥ ταύτῃ δὲ . . .

. . . . τον Λυκαον . . . . . .

Ex paucis litterarum veſtigiis, quae nobis ex duabus his lineis ſervata ſunt, hoc tantum affirmare licet, in prima linea de alio carmine Epico, quod 44400 verſibus conſtitit, (niſi potius pro eis quae marmoris noſtri auctoritatem ſecutus dedimus legendum ſit επῶν ΔΥ i. e. 4400) ſermonem fuiſſe. Neque haec, cum carminis nomen perierint, digna ſunt in quibus haereamus. Ultimae vero lineae veſtigia, quae plane fere evanuerunt, Lycaonis nomen prodere videntur.

Nec denique ea, quae in laeva marmoris parte adhuc cernuntur, cum neque vox integra neque nominis veſtigia exſtent, unde qua de re locutus ſit auctor intelligi poſſet, certam expoſitionem admittunt. Ex ultimis tamen verbis . . . τερο . . ναεν . . quae πρότερον ἔναεν ſupplenda eſſe duco, illud videre arbitror, ſermonem fuiſſe de heroe, qui patriam ſedem mutaverat.

Iam vero ſingulis expoſitis de totius operis conſilio certius iudicium ferri poterit. Ac primo quidem, quod ad carmina & poëtas attinet, quorum nomina in marmore noſtro recenſentur, nullus dubito, eos ipſos hos eſſe, quorum tradita in opere ſuo expreſſerat artifex. Eodem enim prorſus modo in tabula Iliaca enumerationem eorum inſtitutam eſſe videmus, niſi quod in illa in anteriori operis parte ea exſtet, cum in noſtro ad poſteriorem rejecta ſit. Verum monumenti noſtri auctor rem ſuam ita inſtituit, ut omnia quae litteris exprimenda eſſent, parvulis tantum inſcriptionibus exceptis, quae operibus caelatis ſubiiciebantur, ad poſteriorem marmoris partem relegaret. Carmina autem quae expreſſit, ut paucis ea repetam, haec ſunt :

Ti-

Titanomachia , *Arctini* ut videtur vel *Eumeli Corinthii* ; aliud carmen *Danaides* inſcriptum incerti auctoris ; porro *Oedipodea Cinaethonis*, ac *Thebais* , forſan *Antimachi* , *Arctini* denique ni fallor *Mileſii Memnon* vel *Aethiopis* , caeterorum enim nomina perierunt . Quae tamen ſi nobis ſervata eſſent, niſi omnia me fallunt , abunde inde pateret , integrum Cyclum Epicum inde a mundo condito uſque ad belli Troiani finem illis comprehenſum , atque in marmore noſtro expreſſum fuiſſe. Incipit enim ab antiquiſſima fabula de Deorum cum Titanibus certamine ; in qua cum cauſae belli exponendae eſſent , Deorum quoque generatio , adeoque ipſe mundi ortus locum habebat. Inde deſcendit auctor ad *fabulas Argivas* , quas certe in *Danaidibus* & aliis forte carminibus, quorum nomina perierunt , expoſitas fuiſſe , novimus. Has excepit *fabularum Thebanarum* ſeries , quae alteram quaſi omnis mythologiae Graecae partem conſtituebant , ac in Oedipodea & Thebaide exponebantur . *Res* denique *Troianas* eum non modo attigiſſe , ſed ad finem uſque perduxiſſe , inde patet quod *Arctini Memnon* vel *Aethiopis* commemoratur, quae ipſa ultima Troiae fata continebat. Quae cum ita ſint , opus noſtrum cum integrum eſſet, ampliori quam tabula Iliaca , quae ſolas tantum res Troianas exponebat, argumento fuiſſe patet. Ut autem in tabula Iliaca argumentum Iliados Homeri in columna in dextera parte operis breviter expoſitum legimus; ſic in noſtro monumento carminum quae expreſſit artifex argumenta in poſteriori operis parte , cum anterior omnis operibus caelatis eſſet impleta , recenſebantur . Verum ex his omnibus duae tantum de Minerva fabulae, de vi nempe quam Vulcanus ipſi inferre voluit, & de eius cum Neptuno certamine nobis ſuperſunt , quae unde petita ſint , definire non audeo.

Quod

Quod denique ad uſum attinet, cui & hoc monumentum & alia ipſi ſimilia inſervierunt, vix me ad Muſei Capitolini editoris ſententiam accedere poſſe profiteor, qui de tabula Iliaca diſſerens, cum ea eodem loco reperta ſit, quo olim *Bovillas* ſituatas fuiſſe credunt, ubi ſacrarium fuit gentis Iuliae, ad ornatum forte loci quo repoſita erat ſtatua, eam Neronis imperatoris iuſſu, qui Homericis fabulis delectabatur, factam fuiſſe arbitratur (*a*). Neque enim haec, neque monumentum noſtrum, neque fragmenta Veronenſia artificii praeſtantia ita ſe commendant, ut principum luxuriae ſatisfacere potuiſſent. Crediderim potius iuvenum nobilium inſtitutioni ea inſerviiſſe, ut in legendis poëtis Graecis, quibus maxime apud Romanos iuvenum ingenia formabantur, haberent puerorum animi quibus delectarentur; atque ipſa rerum veritate oculis ſubiecta tradita eorum melius memoriae inhaererent. Cui neſcio opinioni an praeſidium inde parari poſſit, quod & in tabula Iliaca verſu illo adiecto:

. . . . μάθε τάξιν Ὁμήρου
Ὄφρα δαεὶς πάσης μέτρον ἔχῃς σοφίας,

iuvenes ad Homeri lectionem excitari videantur; & in altero fragmento Veronenſi in parte poſteriori tabulae (quod ſupra iam monui) ludus quidam expreſſus ſit, qui ad iuveniles potius animos delectandos, quam ad virorum gravitatem mulcendam factus eſſe videtur. Quae tamen quomodocumque ſe habeant, nos fragmentum noſtrum ab interitu eſſe ſervatum, atque eo loco repoſitum, quo meliorem occupare non potuiſſet, gaudeamus.

(*a*) *Muſ. Capitol.* tom. IV. p. 364. 365.

FINIS.